

PRÆFATIO.

Ut fugientem a nobis antiquæ vereque Lutheranae fidei candorem remorarentur nostri, id dederunt ex aliquo tempore operam, ut quicquid commentariorum in Libros Biblicos vel in demortuorum Ecclesiae doctorum scriniis latere deprehendebatur, vel quæ olim in lucem publicam edita fuerant, ex officinis librariis distracta esse & consumpta patebat, id bono equidem pioque consilio revocarent quasi in vitam, eoque, vel in antiqua doctorum, omnium consensu sinceræ fidei confessioni adherentium, æstimatione alios retinerent, vel supersticiosos privati Spiritus & novitatum Fanaticarum adoratores ab idolo isto reducerent in ordinem frugemque. Eam laudem jam aliquoties promeruit vir optimus nobilissimusque *Samuel Heyl*, Bibliopola Hamburgensis, cui nunc singulare addere pondus & argumentum satagit, dum Actorum Apostolicorum celebriores interpretes, qui distractis veteris editionis exemplis ex officinis publicis comparari amplius non poterant, novis nitidisque typis vestitos in publicum emittit.

Continet sacer hic liber plantationem Ecclesiae Christianae, post mortem Servatoris nostri admiranda prorsus Divinae providentiae oeconomia inter Gentiles & Judæos diffusæ; ut quod & præceperat Christus & promiserat, cum valedicens discipulis suis, præceptis eos de propagando in universum mundum regno suo instruxisset, Apostoli in effectum deducere, & ponere in Judæa atque vicinis regionibus tanti tamque stupendi operis fundamenta, felici successu inceperint. Quo ipsa Divina quasi fide & dato nobis chirographo certi reddimur, eum ipsum hominum cœtum, qui præ gentilibus & Turcis Christianorum hodie nomen gerit, eam ipsam Ecclesiam esse, quæ super Petram Christum, juxta promissionem ipsius, sit extructa, adversus quam portæ inferorum non essent prævaliturae. Ut vero sensus nostri haud unquam dulcius atque jucundius moventur, quam cum teneros infantulos puerulosque ipsa ætatis amœnitate oculis nostris gratos & amabiles intueri & ludere cum ipsis permittimur: ita quid suavius, quid delectabilius, quam in conspectu habere, animoque versari, quo pacto primum vagire Ecclesia, mox ludere cœperit, donec his illisve in locis vires acquireret, alioque in contubernium suum pellectaret. Hanc utilitatem, hasque delicias cum complectatur & enarret Actorum liber, quis non divitias in eodem reconditas velut ex cryptis suis erui & uberrima omnium singulorumque momentorum, quæ in se verba scribentis complectuntur, enodatione